

STATUTUM XXXIV.

**De Servitoribus Professorum non multiplican. et
correctione eorum.**

Cum omnis multitudo nihil habeat honesti, imo saepesae-
pius pariat confusionem. (Authen. de Referendar. Collat. 2. et
ibi gloss. v. Honestum.) ideo et in hac Domo multitudinem Ser-
vitorum statuimus vitandam esse, nullumque Professorem plures,
quam unum de communi Mensa alendum debere fovere Servito-
rem decernimus. Si vero aliquis ex Professoribus pro honore suo
et honestate alterum Servitorem penes se retinere voluerit, eidem
de alimentis providere teneatur. Ut enim Servus Domino operari.
(l. Statuliberos. §. Si quis servorum. ff. de Statuliber.) ita ab eo
ali debet. (l. cum plures. §. penult. ff. de Administr. et peric. tu-
tor.) Caeterum isti omnes Servitores in omni modestia se gerant,
prava consortia vitent, fabulas (quae iuter Dominos odia aliqua
concitare possent) non disseminent, ad Culinam excepta necessi-
tate saepius non descendant, ibique ultra necessitatem non mo-
rentur, sed quisque in residentia sui Domini, vel suo reclinatorio,
ut praesto adsit ad obsequium se contineat, Cauponas non vi-
sitent, Chartas, Aleas et alios lusus prohibitos et inhonestos non
exerceant, alias si quis Servitorum talis inventus fuerit, per Do-
minum proprium, vel etiam per Clarissimum Praepositum Do-
mus, ne alios corrumpat, corripatur. Saepe enim malorum con-
sortia etiam bonos corrumpunt, quanto magis eos, qui ad vitia
(quales sunt Juvenes) praei inveniuntur. (can. Saepe. 28. 9. 1.)
Verum si in corrigendo Servitore Dominus fuerit remissior, Cla-
rissimus Praepositus, ut praemissum est ex Officio suo, quod
illi more aliorum Collegiorum competit, in eum animadvertet,
nec huiusmodi animadversionem (modo non fiat dolosa) Domi-
nus vitio vertet, vel pro injuria reputabit. Qui enim jure suo uti-
tur, nemini injuriam facere videtur. (c. Cum Ecclesia. de Elect.
et. l. Injuriarum §. 1. ff. de Injuriis.) Delicta utique non debent
manere impunita (l. Si ita vulneratus. §. 2. circa med. ff. Ad l.

Aquil.) Nec malitiis hominum est indulgendum. (l. In fundo alieno. §. penult. ff. de Rei vendic.)

STATUTUM XXXV.

De Custodia Ignis.

Quanta damna negligens custodia ignis inferre soleat, nuper in Domo Nostra hac paenitus praeter parietes muratos cum Bibliotheca et praetiosa tam communi, quam Professorum particulari suppellectili ex occasione PP. Societatis Jesu, igne consumpta experti sumus. Statuimus igitur et districte praecipimus, ut non solum communis familia, sed etiam ipsi Clarissimi Professores ac servitores eorum, ignem exactissima diligentia custodiant, eundem semper in laterna, praecipue ibi, ubi materia ustioni apta reperiatur, deportent, caudalam parieti ligneo non applicent. Quodsi secus fecerint, vel aliquis eorum fecerit, per Praepositum moneatur, ac tandem pro arbitrio puniatur. Ignem enim negligenter servantes manere non debent impuniti. (l. Nam salutem. §. 1. ff. de Offic. Praefect. Vigil.)

STATUTUM XXXVI.

De Librorum ex Bibliotheca acceptione et Bibliothecarii electione.

Quoniam naturaliter quilibet scire desideret. (l. Apud Julianum ff. de Fidei Commisar. liberet.) vel a peritis, vel a mutis Magistris Libris, qui ad Scientiam acqvirendam. (jux. c. Exiit. §. In alio quoque de Verb. Significat. in 6.) simpliciter sunt necessarii, discere, illosque quoties opus est et necessitas exigit, consulere debet. Quod ut facilius fiat, statuimus, quatenus unicuique Professore, hic in Collegio manenti facilis sit ad dictos mutos Magistros Libros in Bibliotheca Collegii existentes accessus, ita tamen, ut eosdem extra sine consensu Bibliothecarii, per Communitatem quolibet Anno eligendi vel reeligendi ac subscriptione sui in Libro ad id comparato, seu alias submissione de restituendis acceptis danda, multo magis extra Collegium efferre sub paenis